

lium suum solitudini ipsius supposuit, cui *talenta*, que *tradidit*, reddere cogitur duplicata ³⁸⁾. Sed et versa vice ipsum excitat cesaree fortune fastigium, ut ab eis, in quos Romanum dicionem ^{a)} habet imperium, subiectionis et obediencie debitum requirat. Mirabile tamen utrumlibet condicionis est debitum, si subtiliter intueatur, cuius solutio debitorum emolumenta non minuit, auget fidem, ymo magis solventi crescit (in) comodo ^{b)}, quam suscipienti proficiat in augmento. Ceterum, si in eo, prout tenetur, satisfaciat proponenti ^{c)}, et propositi diligenter officium impendit et temporalis honoris stipendia querit, dum clarificatur in fama, et retributionis eterne fiduciam capit, dum proficit in salute in iusso Dominico *que* ³⁹⁾ *dei sunt, deo et que sunt cesaris, cesari* persolvendo. Emolumentum enim solutionis in tantum fere solventi relinquitur, dum recipienti eciam magis commodi et honoris acquiritur quam vexacionis et oneris ^{d)} pondere aggravetur. Nec ⁴⁰⁾ solum in temporalibus solaciis christiani populi tenebras Romani sceptri fulgor illuminat, sed orthodoxe fidei fulcimenta non ^{e)} levia subministrat. Propter quod gratissimum offerre deo vivo tenemur obsequium, si zelo laudabili et constanti proposito ad totius Imperii statum pacificum (tanto) libencius aspiret, quanto ^{f)} clariori presagio hoc de celesti colligit voluntatem. Nec enim ob aliud credere debet, quod providencia salutaris sic magnifice, ymo mirifice direxerit gressus suos ipsum ad regie maiestatis celsitudinem feliciter sublimando, nisi quod voluntati Dominice dispositus in votis ea perficere gereret, per que ecclesia Christi sponsa, cuius advocatus et protector existit, eradicatis zizaniis ⁴¹⁾ salubriter gubernetur. Sic denique manu celestis arbitrii sibi assistente pacatis undique populis ipsum Imperium in suis iuribus undique conculcatum ad sue serenitatis obsequia et utilitatem rei publice reducatur et reductum perseveret.

Ad ⁴²⁾ hec igitur omnia salubriter procuranda suis non debet indulgere laboribus nec parcere sumptibus ⁴³⁾, assiduos namque cogitatus consideracionum suarum dirigere debet, ut eradicata licium et guerrarum ⁴⁴⁾ pravitate iura Imperii reformet et ut pacem discordiarum scismatibus fati-

a) dicionis *Hs.* b) comodi *Hs.* c) proponentis *Hs.* d) honoris *Hs.*
e) sibi *Hs.* f) quarto *Hs.*

³⁸⁾ Vgl. *Apoc. 18, 6*: Reddite illi sicut et ipse reddidit vobis et duplicate duplicitia secundum opera eius.

³⁹⁾ *Matth. 22, 21, Mc. 12, 17, Luc. 20, 25.*

⁴⁰⁾ *Petr. de Vin. 3, 1 (I, 375).*

⁴¹⁾ Vgl. *Matth. 13, 29.*

⁴²⁾ *Petr. de Vin. 3, 1 (I, 377).*

⁴³⁾ Die folgenden Satzteile wurden in der Ansprache erheblich verkürzt.

⁴⁴⁾ Die Ansprache spielt hier auf die Fehden in Deutschland bzw. Österreich an.